



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Legvm Ecclesiasticarvm Edgari Regis Prisca Versio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

rium illum ac præterea ter denos Romam deferat, re-
gique postquam redierit ducentos solidos dependito: sin
tertio deliquerit, rebus suis omnibus exuator.

V.

Dies sabbati ab ipsa diei Saturni hora pomeridiana
tertia usque in lunaris diei diluculum festus agitor: qui
non celebrarit, pœnas in iudicali libro descriptas pen-
ditto. Ceteri autem dies, perinde ut fuerint a sacerdote
indicti, festi aguntor. Instituta etiam quam religiosissime
obseruantor ieunia.

LEGVM ECCLESIASTICARVM

EDGARI REGIS PRISCA VERSIO.

- | | |
|-------------------------------------|----------------------------------|
| I. De debitis ecclesiæ reddendis. | v. De non soluentibus denarium |
| II. De ecclesiæ ubi est cœmeterium. | sanceti Petri. |
| III. De terminis decimandi. | vi. De solennitatibus & terminis |
| IV. De nolente decimas dare. | obseruandis. |

Hoc est institutum quod Edgarus rex consilio sapien-
tum suorum instituit Deo ad gloriam, & sibi ad re-
giam dignitatem, & genti suæ ad commodum.

I.

Primum est ut ecclesiæ Dei recti sui dignæ sint, & red-
datur omnis decimatio ad matrem ecclesiam cui parochia
adiacet de terra thaynorum & villanorum sicut aratum
peragrabit.

II.

Si quis thaynorum sit qui feodo suo ecclesiam habeat
vbi cœmeterium sit, det ei tertiam partem decimæ suæ. Si
non sit ibi atrium, det ex suis nouem partibus presbytero
quod vult, & etiam omne ciricſceatum ad matrem eccle-
siam de omni libera domo.

III.

Et omnis decimatio iuuentutis redditæ sit ad Penteco-
sten, & terræ frugum ad æquinoctium, & omne ciricſcea-
tum ad festum sancti Martini, per plenam forisfacturam
quam iudicalis liber dicit.

IV.

Si quis decimam dare noluerit, sicut diximus, adeſt præ,
Concil. Tom. 23.

T ij

positus regis & episcopi sacerdos illius ecclesiae, & reddat ecclesiae cui pertinebit decimam suam, & nonam partem dimittant ei qui decimam suam detinuit, & octo partes in duo diuidantur, dimidium domino, dimidium episcopo, sit homo regis, sit homo thayni.

V.

Et omnis heordpen reddat ad festum sancti Petri, & qui non soluit ad terminum illum, deferat eum Romam, & etiam triginta denarios, & afferat inde significationem quod tantum ibi reddidit. Et cum redierit domum, emendet centum viginti solidos. Et si iterum reddere nolit, deferat eum Romam, & emendationem eamdem. Et cum redierit, emendet centum viginti solidos regi. Ad tertiam vicem, si adhuc non reddiderit, perdat totum quod habebit.

VI.

Et solenne diei dominicae conseruetur ab hora nona sabbati usque ad lucidum diei lunae, super forisfactura quam liber iudiciorum dicit & docet. Et alia festiuitas, sicut a sacerdote nuntiabitur. Et omne indictum ieiunium cum omni deuotione seruetur.

CANONES EDITI S V B E D G A R O R E G E , E T A D L E G E S S V A S

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
967.

pertinentes, ut in veterissimo manuscripto codice Saxonicus collegii corporis Christi Cantabrigiae reperiuntur, sub hoc frontispicio:

*Hæc quæ sequuntur pertinent ad constitutiones Edgari regis,
de ordinatorum viuendi formula.*

I.

DOCEMVS vt ministri Dei ardentius Deo seruant & ministrent, & pro omni Christiano populo apud Deum intercedant; & vt eorum singuli superioribus suis fideles sint & obedientes, & in communi necessitate vnamimes, auxiliumque inuicem præstantes coram Deo & hominibus, & vt sæcularibus suis dominis firmi etiam sint & fideles.